

integrato, ut advertit Gabr. conf. 54, sub n. 8, versic. 3, lib. 1, & eo relato, Rota in Marsicen. Jurisdictionis 17 Februarii 1647, §. 1, in fine, coram R. P. D. meo Bichio, quia nimirum ex novo processu sententia fertur, \* ut in 1. quo casu non est necessaria revocatio sententiæ contrariæ, Rota decif. 161, n. 2, in fine, part. 1, recent. allegata in d. Marsicen. & in Romana fideicom. de Spiritibus 14 Junii 1645, coram me, §. altera verò nullitas; Sed eò minus quia sententia criminalis lata pro fisco contra donatorem, non afficit, nec præjudicat donatariis non citatis, ex plenè adductis in dicta decif. Eminentissimi Orthonoboni vers. Nec dum relevat; Et tamen revocata fuit in partibus, in alia sententia data in summario addit. Hospitalis, & Cumuli n. 1.

Et licet dicta prædia data fuerint in dotem inæstimata Joan. Donatori ab Angelica ejus uxore, à cujus proprio dominio \* non exierunt, ut cavetur in l. in rebus 30, C. de jur. dot. Pinell. in l. 1, n. 14, part. 3, C. de bonis matern. Quia tamen postmodum cum aliis sui viri permutavit, hæc transferunt in Dominium viri \*, & permutata in Dominium uxoris; super quibus proinde competunt sibi eadem actiones, quæ competebant super tenentis propriis, ad text. in l. Imperator §. ult. ff. de leg. 2, Bald. in auth. si qua mulier n. 5, C. ad Velleian. Decian. conf. 55, n. 76, lib. 3, Mantie. de tacit. & ambig. lib. 25, tit. 3, n. 22, loquens in specie de fundo dotali permutato, cum non dotali, & tit. 5, nu. ... ultra alios relatos in decif. 19 Aprilis 1652, coram R. P. D. meo Celso, §. penult.

Major oriebatur difficultas, ex quo concessa fuit libera immisio Cumulo \* super his tenentis, quæ concedi non poterat nisi cum clausula, restitutis bonis permutatis, quæ adhuc retinet penes se, per text. in l. Julianus ff. de act. empr. Sed animadvertendum fuit dispositionem præfati textus procedere, sed agitur ex eodem contractu, in quo aliquid hinc inde fuit respectivè promissum, quo casu agere non potest ex contractu, \* qui eum non implevit, vel ubi quis rescindere velit contractum, ex quo aliquid percepit; hoc enim non licet nisi prius restituantur percepta, ex adduct. in decif. 273, n. 21, coram Sanct. mem. Greg. vel demùm ubi possessori competent super bonis possessis aliqua detractiones, quo particulariter casu, non datur actori immisio \*, nisi factis hujusmodi detractionibus, ut pluribus relatis, dictum fuit in Rom. fideic. de Mellinis 5 Decembris 1645, coram me, & in Senogallien. fideic. 7 Junii 1652, coram R. P. D. meo Bichio.

Secus autem est, ubi actor petit unam rem ex una causa, & possidet aliam ad eum pertinentem ex alia causa. Tunc enim, quia una res non habet connexionem cum alia, nec possessio unius est correlativa ad possessionem alterius, uterque debet experiri jura sua, nec interim datur compensatio \* de specie ad speciem, Mantie. de tacit. lib. 10, tit. 10, n. 8, Fachin. contr. jur. lib. 11, cap. 7, per tot. Surd. decif. 184, nu. 7, vel retentio unius rei pro alia, si possidetur, ex causa diversa, Caval. dec. 539, n. 4, & decif. 543, n. 3. Et hic est casus noster, quia Cumulus, & Hospitalis petunt immisionem super his tenentis tanquam Donarii Joan. Patres verò Dominicani petunt immisionem super bonis permutatis tanquam hæredes Virginie. Cum ergo res sint separate, & actiones \* competant ex diversis instrumentis, una non impedit aliam, sed possunt Donarii Joan. agere, & obtinere contra Dominicanos, etiam si non restituerint, quod eisdem deberent, ut hæredibus Angelicæ, ex adductis coram S. mem. Greg. dec. 541, n. 1. Exceptio enim

non implementi \* non obstat agenti ex diverso 12 contractu. Imò nec agenti ex eodem contractu, si res, & capitula sint separata, Natt. conf. 133, n. 5, Adden. ad eundem, littera A. Rota apud Pacific. de Salvian. interdicit. dec. 54, n. 1, ubi Adden. n. 17, & bene ad propositum Rota decif. 102, sub nu. 4, vers. dicit, p. 1, divers.

Et tamen in sententia Rotali, lata ad favorem Cumuli, & Hospitalis, non fuit denegata immisio Patribus super bonis permutatis: Imò cum expressè concessa fuerit, in decisionibus non censetur in sententia reservata, cum decisiones \* dicantur pars sententiæ, & hæc ab illis interpretationem recipiat, Scacc. de sent. & re jud. gl. 14, q. 17, nu. 52, & seqq. & ex relata Rota in Meleventana Antianitatis 20 Novembris 1648, coram R. P. D. meo Bichio, §. complectitur verò.

Detractiones, quæ iterum opponuntur, responsum fuit non competere, ex quo Virginia non conficit inventarium bonorum paternorum, & plures fecit alienationes, \* quibus copulativè concurrentibus intrat præsumptio satisfactionis ex plenè deductis, in Perus. bonorum 30 Maii 1650, coram me; nec suffragatur inventarium confectum à fisco, cum inventarium unius \* non suffragetur alteri, & ex diversa causa succederet, Giurb. ad consuet. Messanen. p. 1, c. 9, gloss. 5, num. 43; Rota in Bononien. fideic. de Navarrinis 10 Decembris 1638, coram R. Tarracoen. & in Romana fideicommissi de Capite Ferreo 19 Februarii 1646, coram Eminentiss. D. Card. Corrado: multoque minus ex quo confectum fuit longè antè donatoris decessum, quo medio tempore potuit donator alia plura acquirere, & omnia cadebant sub donatione etiam futurorum.

Dos autem Angelicæ consistit in stabilibus datis inestimatis \*. Ideò contra ea solum competit 16 actio, ex conf. Alex. 38, nu. 2, in fin. lib. 2, cum aliis relatis in postrema decif. R. P. D. mei Celsi; residuum verò promissum in pecunia non probatur solum \*, ut debet ad effectum repetendi, 17 Rota dec. 5, n. 12, p. 6, recent. & obstat semper defectus inventarii, propter quem detractiones \* 18 fieri non possunt, præsertim super fideicommissio particulari, quod hæres inventarium non conficiens tenetur integrum præstare, ut cavetur in l. fin. C. de jur. deliber. Peregr. conf. 64, nu. 14, & 15, lib. 3, ut latè explicatum fuit, in Bonon. fideic. seu domus 20 Aprilis 1646, coram R. P. D. meo Bichio, §. hoc posteo.

Et ita utraque, &c.

DECISIO XCII.

R. P. D. ZARATE.

Romana fideicommissi.

Veneris 24. Aprilis 1654.

SUMMARIUM.

- 1 Evictio, de quo tenet actio eundem agentem repellit exceptio, & n. 16. & 18.
- 2 Cessionariis actiones cedentis competunt, & n. 13. Hypothecaria, ac personali conveniunt, n. 3.
- 4 Stipulatio quorum interest, in obligatione Camerali est inserta.
- 5 Obligatus ad relevandum tenetur, pro omnibus molestiis.
- 6 Obligatio subsequens non præjudicat præcedenti.

7 Fidei

- 7 Fideicommissario competit hypothecaria in bonis gravati, ob alienationes ab eo fraudulenter factas.
- 8 Accollans efficitur debitor principalis.
- 9 Debitor, & creditor sui ipsius quis esse non potest.
- 10 Anterioritati renunciat, qui solvendi onus erga alios suscipit.
- 11 Reservatio nullum jus tribuit de novo.
- 12 Hæres etiam cum inventario, non potest excipere de ejus credito anteriori, nisi reddita ratione inventarii. De bonis consumptis non tenetur, num. 15. & 17.
- 14 Funeris impensæ habent prælationem.

Subsistentibus licet fundamentis decisionis coram me emanatæ 24 Novembris 1653, tamen ex noviter deductis Domini recesserant à decifis; Et enim in causa resolutum fuerat, concedendam esse immisionem in horreis controverfis seminario Ascovæ, uti vocato ad fideicommissum Bartholomæi Papii, inter cujus bona remanserunt; & in hac parte confirmandam esse decisionem editam coram E. Othobono 3 Martii 1651. sed reformandam in causa in qua damnatum fuerat seminarium ad restitutionem scutorum 1716. Equiti Pantheræ, & Lavinie Mainardæ possessoribus faciendam, ex eo quod annuum legatum uxori à fideicommittente relicto solvi deberet ex fructibus bonorum fideicommissi: Fructus autem, & interfusoria dotis satisfacta censetur ex fructibus bonorum ab uxore perceptis, ut comprobatur in d. decif. 24 Novembris 1653.

Verum hodie ex instrumento transactionis denudò productò, ab hac resolutione recessum fuit. Siquidem in eo legitur conventionem fuisse celebratam inter idem seminarium ac Fratres Discalceatos S. Augustini, urbis, hæredes institutos à Francisco ultimo hærede gravato, per quam plurium bonorum liberorum ad eundem Franciscum spectantium in seminarium posse, fuit facta dimissio, cum istius repromissione, & obligatione reddendi immunes ipsosmet Fratres & Monasterium, super reliquis bonis ad dictum Franciscum spectantibus, & consequenter pro summa reficienda ipsis bonorum possessoribus, etiam obligatum. Unde cum iidem bonorum possessores agere possint pro recuperatione summæ sibi debite, contra Fratres Discalceatos qui è converso pro observantia evictio-nis promissæ contra seminarium judicium institue-re \* valent; utique possessores, & conjuges tanquam cessionarii Patrum seminarium repellere possunt exceptione, vindicantem, ff. de evict. secundum tradita per Castr. conf. 352, §. fin. lib. 1, & pluribus relatis Barbof. axiom. 85, n. 2, & 3, Rot. coram Merlino dec. 543, n. 5, nec non ex juribus sibi competentibus bona, de quibus agitur, pro eadem liberatione obligata retinere, cum \* cessionariis actiones cedentis competant ad text. in l. nomen. quæ res pign. cum aliis adductis per Surd. conf. 4, n. 23, Rot. post Modernum Forolivium. de pign. dec. 30, & dec. 50, utrobique n. 10, & in Romana Salviani 18. Junii 1647, coram bona me. Arguelles in fine: Nam seminarium quamvis hæres Francisci non fuerit, sed cessionarius vigore approbationis, seu promissionis, proinde ac si hæreditario jure successisset, ne dum actione hypothecaria \*, sed personali in subsidium convenitur ratione circuitus vitandi, juxta text. in l. si Dominus ff. de conditi. indebit. Salic. in l. 2, n. 5, C. de hered. vel act. vend. Cancr. var. resol. lib. 1, c. 8, n. 65. Fontanell. de pact. nupt. claus. 7, gl. 3, p. 7, n. 57, & 58. Quinimò ex generali promissione in transactione apposta aberrandi hæ-

redes à molestiis inferendis à quocumque interesse habente poterit pro evictione conveniri à Lavinia, ac si cum ea contraxisset; dum illa à seminario patitur evictionem ex vi stipulationis Notarii \*, quo omnibus interesse habentibus in obligatione Camerali contentam ad tradita per Barz. dec. 26, n. 10, Franc. dec. 273, in fine, Natt. conf. 534, n. 8, Rot. post Zacch. de oblig. Camerali dec. 244 n. 2.

Nec obstat, quod dicatur promissionem liberandi à molestiis non fuisse generalem, sed tantum respectu quorundam bonorum mobilium, & fructuum, nam contrarium deprehenditur ex instrumento, in quo exprimuntur omnia bona cessa, sive hæreditaria Bartholomæi fideicommittentis, sive Gottardi, aut Francisci, & aliorum filiorum ejusdem fideicommittentis, summario seminarii n. 8. & summ. conjugum n. 4, quamobrem in quocumque eventu molestiarum \* seminarium tenebitur ex latè deductis, in Faventina fidei unionis seu liberationis à molestiis 1 Julii 1650, coram R. P. D. meo Alberгато.

Minus autem refragatur, quod seminarium receperit bona libera Francisci, in satisfactionem creditorum, quæ contra illum habere prætendebat, quæ & agnovit dicti Patres ex instrumento transactionis, fatentes seminarium creditorem esse Francisci; nam prædicta assertio aut agnitio debiti, sive Francisci, aut PP. hæredum non potuit nocere Guvinie \*, ad cujus favorem longè antè obligati erant, ut per text. in l. debitorum pactionibus C. de pact. Negul. de pign. part. 5, memb. 1, n. 53, Boer. dec. 57, n. 3, Surd. dec. 286, n. 1. cum aliis plena manu congestis per Rot. Hispan. Caberin. credit. 3, p. c. 13, per tot. Quapropter non potest hocum habere præsentia anterioritas, seminarium super bonis hæreditariis Francisci, ob alienationem bonorum fideicommissi ab eo factam, pro cujus reintegratione seminarium præ-tendit sibi competere actionem, cum bona illa assignata partim evicta fuerint; reliqua verò non sufficiunt. Nam pro reintegratione fideicommissi, difficile est, quod seminarium jus aliquod habeat super bonis liberis Francisci, cum valde sit controversum an fideicommissario competat hypotheca super bonis hæredis gravati pro reintegratone, & eam tantum admittat \* Rota casu, quo constat de fraudulenta, & dolosa alienatione, ut bene distinguitur in Romana fideicommissi, seu Salviani 26 Novembris 1650, coram R. D. meo Decano; declarando aliam præcedentem in eadem causa 28 Junii 1641, coram eodem; & illam postea inclinavit in Placentina bonorum 16 Junii 1653; §. fin. coram me. Præterquam ea semper urgens visa fuit ratio, quod seminarium obijci possit evictio promissa, cum stante onerum susceptore excipere nequeat, de suo credito etiam anteriori, cum hæc exceptio accollanti non profit, qui cum per accollationem \* debitor principalis afficiatur, Cenc. de cens. q. 73, n. 16. vers. 15, enim, Rot. d. dec. 543, n. 2, coram Merl. non potest esse simul debitor \*, & creditor sui ipsius, ut per text. in l. debitor 31. C. de pactis l. Uranius 82, ff. de fidejuss. Rot. in Rom. fideic. seu Attentatorum 17 Maii 1647, §. non obstat vers. nec ullo modo coram bon. mem. Arguelles; & quia eo ipso, quod onera in se suscepit \* prælationi, si quam haberet, renunciare censeretur, ut accidit in creditore novæ obligationi consentiente, juxta text. in l. Lucius 21, l. Paulus 12, ff. quibus modis pign. vel hypot. solvitur l. creditor 12, §. si tecum ff. quæ potior, cum similibus Larrea dec. 20, n. 5, & plures relati per Moder. Hispan. in Labyrinth. credit. d. p. 3, cap. 13, §. unico per tot.

o 2

Nec

Nec officit, quod seminarium renunciasset in transactione, jura super suis creditis contra Francisci hereditatem; siquidem de creditis non docetur nisi per confessionem contrahentium, quæ aliis nocere non debet, juxta superius allegata:

11 & ideò reservatio \* nihil potest operari, cum nullum jus tribuat de novo, ut per text. in l. & si quis 14. §. plerique 8. ff. de relig. & sump. funer. l. minor. 39. §. 1. & ibi gloss. ff. de evict. cum similibus Bald. in Auth. interdictimus C. de Sacros. Eccles. Pe. regr. consl. 36. n. 9. & consl. 85. n. 10. Vinc. de Franch. dec. 437. in fine. Moder. Hispan. in Labyrinth. credit. p. 2. c. 6. nu. 64. Rot. in Romana Cambii 28 Junii 1649. §. nec subsistit coram bon. mem. Arguelles.

Præterea quia sicut hæredes Francisci non possent excipere de credito anteriori \* nec evitare molestias, etiam si fecissent inventarium, nisi reddita ratione bonorum hereditarium, juxta text. in l. fin. §. in comput. C. de jure deliberat. Berou. q. 55. n. 4. Rot. dec. 39. n. 9. q. 6. p. 6. recent. Ita nec seminarium quod vigore cessionis \* sibi factæ de omnibus bonis hereditariis dicti Pupii successit in locum dd. PP. cum expressa obligatione, eos liberandi ab omnibus molestiis, l. 2. C. de hæred. vel act. vend. & ibi Bald. n. 13. Mangil. de evict. q. 51. num. 16. Franch. decif. 273. num. 5.

Unde replicatio non relevat, scilicet quòd ad hoc ut seminarium teneatur de evictione saltem constare debeat, quod molestiæ possint inferri, & bona ab ipsis Augustinianis PP. avocari, quæ cum oborta sint ex funeris \* impensa, ac aliis expensis necessariis juxta text. in l. impensa ff. de Relig. & sump. funer. Modern. Forolivien. de pign. lib. 3. q. 22. n. 4. & lib. 4. q. 17. n. 24. videtur cessare causa molestiarum. Nam fuit responsum non satis constare, quòd bona in posse Patrum cum relicta fuerint absumpta, & licet Patres transigentes hæredes Francisci quasdam pecunias recepisse dicantur, atque mobilia, de quibus rationem reddant, affirmantes mobilia cessisse in dissolutione æris alieni Francisci & de pecuniis, & fructibus non teneantur tanquam bona fide consumptis, per Rot. decif. 159. nu. 8. p. 5. rec. Tamen nec sufficienter hæc visa fuerunt justificari; ultra quod etiam molioramentorum, quæ Franciscus fecerat, legitur facta promissio, de quibus nulla redditur ratio, 16 quamobrem cum dictis Patribus \* possint inferri molestiæ; evictio proinde earum occasione promissa seminarium excludit ab assecuratione bonorum penes conjuges existentium, vigore d. l. vindicantem, quinimò, dum Patres Inventarium non exhibent de bonis, seu hereditate Francisci confectum \*, nulla eis excusatio suffragatur, cum teneantur reddere rationem de neglectis, & consumptis, ut tradit Grat. disceptat. for. c. 981. n. 27. & seqq. Rot. in Bonon. fideic. de Rubeis 21 Martii 1648. coram R. P. D. meo Decano, §. quinimò.

Præterquam ex tenore transactionis, constat plura bona hereditaria devenisse in potestatem seminarii, ut in summ. conjugum n. 40. & colligitur ex confessione seminarii negantis se teneri ad reddendam rationem fructuum bona fide consumptorum, ad quam nullatenus cogi possent, nisi hereditaria forent Francisci. Quare, cum plura bona \* ad seminarium devenerint evictionis onere affecta non poterit evitare exceptionem, l. vindicantem ff. de evict.

Atque ita &c.

DECISIO XCIII.

R. P. D. ZARATE.

Anconitana Pecuniariz.

Veneris 15. Maii 1654.

SUMMARIUM.

- 1 Minores ne dicantur indefensi, sufficit quod eorum procurator citetur. Curatorem non habentes obligantur, n. 3. Ex juramento obligantur, n. 4.
- 2 Pater in bonis filiorum majorem auctoritatem habet, quam tutor in bonis pupilli.
- 5 Solemnitates ex constitutione Marchie in contractibus minorum requisitæ.
- 6 Cautela abundans non nocet.
- 7 Minoris obligatio pro patre liberando ab imminente carcere sustinetur.
- 8 Filii etiam minores obligati sunt pro redimendo patre à carceribus læsi non dicuntur ex obligatione pro eximendo patre à carceribus, n. 10.
- 9 Restitutio in integrum non competit minori obligato pro patre exarcerando. Non datur filiis adversus patrem, n. 13. Declara ut n. 14.
- 11 Læsus non dicitur, qui se obligat ex causa necessaria.
- 12 Læso enormissima requiritur, ut minor obligatus pro patre restituatur.
- 15 Læso non impedit executionem obligationis Cameralis.
- 16 Metus in contractu inito inter patrem, & filium facile præsumitur. Solus non est sufficiens ad rescindendam obligationem, n. 17. Ex presentia judicis excluditur, n. 18.

Mandatum ab A. C. contra Thomam, & Angelum de Pironis, relaxatum, non esse exequendum Domini 31 Martii 1653. coram me responderunt; tam ex capite nullitatis, quam injustitiæ, quibus modò ex noviter deductis in factò sublatis à decisis recesserunt.

Nullitas quidem jam deducta ex eo, quòd mandatum relaxatum fuerit contra prædictos Thomam, & Angelum minores, absentes à loco judicii, & speciali Curatore carentes, tollitur ex eo quia justificatur, Procuratorem à Hieronymo eorum Patre constitutum, in toto judicio citatum fuisse, eumque \* semper comparuisse, defensiones eis competentes, tam in Tribunali A. C. quam in signatura justitiæ deduxisse, ut proinde indefensi dici non possint, Rota coram Verall. dec. 43. n. 12. & post Zacch. de oblig. Camer. dec. 198. n. 7. Et certi juris est à Patre etiam in bonis adventitiis filiorum, in quibus solum usumfructum habet, Procuratorem ante litem contestatam constitui posse, cum major in eo \*, quam in Tutoribus, & Curatoribus vigeat auctoritas, ut probat additio ad gloss. in l. 1. verb. Procuratorem vers. tamen dicas, & ibi Bart. & Bald. & communiter Doctores, C. de bon. matern. Jas. in l. quod quis sub n. 1. vers. 7. C. de Procur. Mandell. Alba consl. 286. n. 3. Cevall. comm. contra comm. q. 330. sub n. 1. Golin. de procur. p. 3. cap. 2. n. 24.

Injustitia verò, quæ in medium afferbatur ex eo, quòd Curator, qui pro istis fratribus minoribus in hoc contractu intervenit, pupillorum rem salvam reddere non satisdedit, pariter cessat, quia de jure minor. Curatorem \* non habens, rectè obligatur, lib. 3. C. de integr. l. 1. C. de fil. fam. min. Donnell. in l. impuberes 101. ff. de verb. obl. ubi Olvald. l. 1. q.

litt. Q. Hering. de fidejuss. cap. 17. num. 86. Marc. Lycklama memor. lib. 7. Egloga 15. Rota coram Buratto dec. 27. n. 1. qui in recent. est dec. 500. nu. 1. part. 2. & dec. 267. n. 2. part. 3. Et sine dubio stante dd. minorum \* juramento, Auth. Sacramenta puberum. Ubi id omnes notant, C. si adversus vend. Hering. de fidejuss. ubi supra nu. 103. Surd. n. 3. in princip. Gratian. disceptat. forens. cap. 233. n. 8. Rota coram Buratt. dicta decif. 27. n. 1. & apud Sanct. mem. Gregor. XV. dec. 406. n. 1. cum seqq. & constitutio Marchie dumtaxat exposcit judicis decretum †, duorum proximiorum consensum, & insinuationem, Rota dec. 294. n. 12. & seqq. part. 6. recent. quæ omnia intervenerunt. Atque in statuto Anconitano, solummodò sancitur, quòd minor non habens, Curatorem generalem, possit contrahere, & se obligare cum auctoritate, & decreto judicis, & cum voluntate, presentia, & consensu duorum consanguineorum, vel affinium proximiorum majorum 25. annis; Unde vel adfuit ille Curator legitimus, & cum fuerit illius consensus adhibitus, est satisfactum statuto: Si verò non erat legitimus, perinde est ac si non intervenisset, nec Curator fuisset, & proinde intrat altera statuti pars, quòd adhibeantur duo proximiores, & fuerint adhibiti, ut in terminis Rota coram Merlino dec. 353. n. 21. & seqq. Cæterum cum solemnitas deputationis hujus Curatoris servata fuerit ad majorem cautelam cum clausula, quatenus opus sit, & cum protestatione, quòd utile per inutile non vitiatur, intrat vulgaris regula, quòd abundans cautela \* nullitatem non inducit, l. testamentum, C. de testam. l. solent. ff. de regul. jur. Rota decif. 319. n. 9. p. 1. decif. 748. n. 6. p. 3. recent. & coram Merlino decif. 6. n. 14.

De validitate autem obligationis dd. minorum dubitari non potest, cum ad evitandas executiones, † subhastationes, & ad liberandum Hieronymum Patrem ab imminente carcere periculo, emanaverit text. in l. si ex alio C. quod cum eo l. 1. Cod. de fil. fam. mm. leg. si dubitet, §. filiusfamilias, ff. de fidejuss. Paschal. de virib. patr. potest. p. 1. c. 6. n. 123. Hering. de fidejuss. c. 7. n. 337. Thefaur. jun. quest. forens. c. 4. qu. 60. n. 3. & fuit dictum in decif. quæ revidetur §. Injustitia. Et filii pro patre obnoxii erant hujusmodi obligationi †, alias si eam præstare renuissent, paterna successione, jure merito privari potuissent, §. causas vers. si unum, Auth. & cum de appell. cognosc. Auth. si captivi C. de Episcop. & Cleric. Modern. Urbinaten. de fratribus p. 1. c. 30. n. 2. & in alia decisione d. §. injustitia vers. Imò; Et quamvis præcatorum text. dispositio loquatur de existente apud hostes; attamen secundum DD. omnes extenditur etiam ad eos in carceribus ex causa civili, seu criminali detentos, ut ibi Bald. Modern. Forlivien. de legitima lib. 4. tit. 1. q. 15. n. 2. & seqq. Gizzarell. dec. 4. n. 10. 12. & 13. Rota decif. 63. n. 4. §. 15. p. 2. divers.

Nec contra hanc obligationem fructuosum erit restitutionis beneficium †, quia illud prædictis minoribus pro impedienda patris carceratione obligatis non competit, Paschal. de virib. patr. potest. p. 3. c. 5. n. 20. & 21. Grat. discept. forens. c. 952. n. 12. Rota coram sanct. mem. Greg. XV. decif. 120. n. 9. & penes Buratt. dec. 75. n. 23. & dicitur in 1. decif. d. §. Injustitia, vers. nec filii potissimè interveniente juramento d. Auth. Sacramento puberum C. si adversus vend. & ibi gloss. Cyn. n. 14. Odofr. n. 22. Rota coram Buratt. decif. 75. n. 5. & in alia decif. d. §. Injustitia vers. maxime.

Minusque initti possunt beneficio læsionis, quæ in presentia deficit: Tum quia obligatio in pro-

pria causa ad exhæredationis jacturam evitandam intercesserit †, quo casu licet postea damnum contingat, læsi dici non possunt, nec restituuntur. l. de fid. Cod. de transact. l. ea lege C. de usur. l. si Pater puella C. de inoffic. testam. Surd. de alim. tit. 9. q. 55. n. 13. & 15. Rota decif. 586. n. 19. p. 4. tom. 3. rec. & in alia decif. §. minus. Tum etiam quia se obligaverunt, ut dictum est, ob causam necessariam †, quæ est liberatio patris ab imminente carceratione; unde, dum isti filii fecerunt id, quòd & legis præceptum, & officium pietatis suadebat minimè clipeo se tueri possunt læsionis, vel restitutionis, Rota coram sanct. mem. Greg. XV. dec. 120. n. 12. & 13. in Civitatis Castellii Pecuniaria 27 Janu. 1625. coram Remboldo, & in dec. qua revidetur d. §. minus vers. ac proximè. Præsertim cum non sit enormissima † 12 qualis requiritur text. in l. verum §. sciendum ff. de minor. Sforc. Odd. de in integr. rest. p. 1. q. 23. n. 54. & seq. Merlin. Pignat. contror. forens. cent. 2. c. 100. n. 66. Rot. d. dec. 582. n. 11. & 12. p. 4. tom. 3. rec. & firmatur in 1. decif. d. §. minus in fine.

Et quamvis informantes pro fratribus de Pironis enormissimam læsionem ostendere conentur †; 13 eam tamen non justificant; verum nec propter reverentiam Patri debitam prænominati filii adversus patrem essent succurrendi, text. in l. 2. C. qui & adversus quos ibi. sed ut maneat in omnibus honor Parentibus, & Patrono, vel Patronæ illibatus, atque intactus, sancimus nullo modo, neque adversus Parentes uniuscujusque sexus, neque adversus Patronum, vel Patronam dari restitutionem ubi Bald. rationem deciden. in sum. affert, tum propter reverentiam, tum quia lex fingit eos non læsos, Merl. Pign. ubi sup. n. 63. & 64.

Et tunc demum urgeret objectum, si læsio, vel dolo adversariorum, vel propria obligantis † im- 14 prudentia evenisset, quodecumque in presentia deest, Sforc. Odd. de in integr. restit. d. p. 1. q. 23. n. 53. vers. ego breviter Faber de error pragmat. decad. 13. error. 6. n. 10. & seqq. Merlin. Pign. loc. citat. n. 68. Et semper verum est dicere, quòd cum hæc allegata læsio altiorem † requirat indaginem, obligationis Cameralis executionem antecedenter ceptam retardare non potest, Rota in præcitata dec. 120. n. 17. coram sanct. mem. Greg. XV. & penes Buratt. dec. 783. n. 15. Cœpta autem dicitur executio de stylo hujus nostri Sacri Auditorii per mandati relaxationem, Rota dec. 545. n. 5. part. 1. decif. 138. n. 2. dec. 248. n. 4. part. 3. recent. coram Buratto, dec. 268. n. 4. & 5. dec. 858. n. 3. & seq.

Pro invaliditate verò istius obligationis perpetuam recurritur ad metum reverentialem, qui in contractibus à filiofamilias †, in patris beneficium peractis facile præsumitur. Modern. Neapol. de renunc. c. 39. n. 4. & dicitur in 1. decif. §. minusque. Quoniam solus metus non est sufficiens \* ad obligationem rescindendam, l. 1. §. Quæ oneranda, ubi Bart. n. 4. ff. quar. rer. det. d. Modern. de renunc. d. c. 39. n. 9. Grammat. dec. 103. n. 48. Capyc. decif. 159. n. 32. Rota dec. 198. n. 8. post 2. vol. consl. Farin. Grat. discept. forens. c. 108. n. 51. ubi sola reverentia alicui debita, metum non justificat, & propterea DD. tenent metum esse concipienter probandum, utpotè cum minis, Cephal. consl. 592. n. 11. vol. 4. Mandell. consl. 77. n. 5. lib. 1. Surd. consl. 513. sub n. 35. Gutt. consl. 16. n. 16. Castill. lib. 3. contror. c. 1. n. 153. Noguero. cum ubi congestis alleg. 29. n. 79. Olasch. dec. 129. n. 4. & in alia dec. d. §. minusque. Vel enim relevantem præsumi ex enormissima læsione. Peref. post alios, in l. si Curat. verb. læsis n. 40. vers. tamen hæc non procedunt, C. de in integr. rest. Castill. multos enumerans lib. 3. c. 1. nu. 153. 16